

suum intellexisse : non enim apparet quare in hoc casu onus subditis plerumque molestissimum imponeretur.

Si denuntiatio Superiori immediato facta nullum effectum obtinuit, censemus cum Adigard (p. 21) non esse eandem iterandam apud Superiorem majorem : onus enim adeo grave fuisset distincte in decreto exprimendum, neque videtur satis indicari hoc plurali " Superioribus majoribus, " ut visum est Lehmkuhl (p. 21). Sed videndum num forsitan, ob grave damnum tertii vel commune, eadem obligatio e caritate oriatur, prout supra dictum est.

§ 2. OBLIGATIONES EX VOTO PAUPERE TATIS.

90. I. Religiosus votis simplicibus tantum ligatus generatim conservare potest in bona temporalia dominium directum (Vol. I. n. 466), quod etiam *radicale* vocatur. Sed vetatur ulla re tamquam propria uti, ac proinde etiam ulla bona tamquam sua administrare vel iisdem independentem a Superiore uti.

Hic paupertatis gradus, in hodierna Ecclesiae disciplina, essentialis est ad veram vitam religiosam constituendam, ut ex diuturna Ecclesiae praxi constat. Idem ad illius essentiam sufficit, ut a saec. XVI^o manifeste apparuit e Constitutionibus Gregor. XIII condicionem Scholasticorum Soc. Jesu tamquam vere regularem agnoscentis (n. 73) et iterum patuit e decretis Pii IX de quibus supra. (n. 82) Ita in Litteris 12 Jun. 1858 legitur : " Professi votorum simplicium dominium radicale, ut aiunt, bonorum suorum retinere poterunt, sed eis omnino interdicta est eorum administratio et reddituum erogatio atque usus. Debent propterea, ante professionem votorum simplicium, cedere pro tempore quo in eadem votorum simplicium professione permanserint, administrationem et usumfructum et usum, quibus eis placuerit, ac etiam suo Ordini, si ita pro eorum libito existimaverint. "

Si hujusmodi professi votorum simplicium bona sua alienarent, talis alienatio esset certe illicita, siquidem manifeste continet actum proprietatis, nempe dominii translationem. (Lugo, disp. 3. n. 77 seqq.) Ita pro Scholasticis Soc. Jesu diserte declaravit Congr. 5. can. 7. Quidam AA. ut Lessius (De Just. et J. l. 2. c. 4. n. 28) etc. censent talem dispositionem esse invalidam ; alii, ut Schmalzgr. (in l. 3. Decr. t. 35. n. 9) eam habent tamquam per se validam, sed a Superiore irritabilem ; alii tandem probabilius cum Lugo (l. c. n. 79 seqq.) eam opinantur esse validam, neque a Superiore irritari posse. Ratio ultimae sententiae est : tales religiosos manere veros dominos facultatum suarum, neque ullo jure ipsis auferri potestatem de iis disponendi, sicut auferretur pupillis.

Quatenus in singulis Congregationibus fas sit de rebus vel dominio bonorum personalium disponere, ex earum constitutionibus vel legitimis consuetudinibus discendum est : nam paupertas vovetur juxta regulam. Neque eadem est in omnibus Institutis ratio qua de iisdem bonis disponere queant professi votorum simplicium. Cfr. Lucidi, de Visit. ss. Lim. t. II. p. 277.

91. II. Religiosus sollemniter professus, vi juris communis, praeterea incapax est dominii radicalis in bona temporalia proprio nomine possidenda. Quare, si de hujusmodi bonis absque facultate Superioris disponit, non tantum illicite agit, sed et invalide.

Attamen iidem professi (saltem in plerisque Ordinibus) possunt bona temporalia in communi possidere. Constat ex Trid. quod (Sess. 25. de Regul. c. 3) omnibus monasteriis, exceptis tantum Capuccinis et Minoribus de Observantia, facultatem fecit bona etiam immobilia possidendi. Possessio autem in communi in eo est quod communitas corpus quoddam seu personam moralem constituit, quae ab Ecclesia et quandoque etiam a Statu agnoscitur, tamquam capax exercendi omnes actus legitimos, qui communiter civibus licent circa bona temporalia. Hinc patet sensus trili axiomatis : " Quidquid monachus acquirit, non sibi, sed monasterio acquirit, " : scil. res quae ad religiosum pertineret propter donationem, hereditatem, etc. si esset capax dominii personalis, eo ipso pertinet ad monasterium, cujus membrum et quasi filius factus est. Neque ad hunc effectum probabilius requiritur acceptatio legati vel hereditatis per ipsum professum : quia per professionem jura omnia omnisque voluntas religiosi ad monasterium transferuntur, ideoque etiam transfertur jus et voluntas adeundi hereditatem vel legatum acceptandi. (Schmalzgr. in l. 3. Decr. t. 27. n. 77)

Hodie, ob leges civiles quae nullum jus possidendi bona in communi religiosis agnoscunt, Romani Pontifices quandoque indulserunt ut, professi, salva votorum sollemnitate (n. 84), bona nomine proprio possiderent : in qua tamen possessione semper servare debent dependentiam a Superioribus, quae essentialis est in omni paupertatis religiosae voto. Sic S. Congr. negotiis ecclesiasticis extraordinariis praeposita, 31 Jul. 1878 declaravit : " Omnes singulosque Belgii Regulares utriusque sexus, etiam qui vota sollemnia nuncuparunt, posse bona acquirere retinere et administrare, deque iis disponere ac proinde posse, lita conscientia, etiam cum jurejurando asserere se voluisse ad normam legum civilium verum dominium bonorum a se possessorum acquirere una cum jure de iis disponendi. " Hoc rescriptum a S. C. Ep. et Reg. 7 Mai 1883 extensum est ad omnes Ordinis Minorum Capulatorum

provincias, iisdem dumtaxat adjunctis perdurantibus. (Piat. Prael. Jur. Reg. I. p. 239)

92. III. Materia remota voti paupertatis sunt res exteriores pretio aestimabiles. Igitur non complectitur res spirituales, ex. gr. beneficium ecclesiasticum, vel res temporales quae per se non sunt pretio aestimabiles, ex. gr. famam, Sanctorum reliquias.

Juxta communissimam sententiam (S. Alph. l. 5. n. 14), materia hujus voti non sunt manuscripta : nam quae quisque sibi scribit, sunt tantum subsidia propriae memoriae et cum persona scribentis unum facere videntur ; praecipua autem ratio est universalis consuetudo. (Lugo, de Just. et J. disp. 3. n. 230) Attamen quandoque contra oboedientiam delinqueret, qui manuscripta sua aliis daret vel legaret ; immo etiam contra justitiam, ob tacitum contractum quem religio cum eo iniisset ei varia subsidia librorum, itinerum, etc. suppeditandi ut librum conscribere posset, in utilitatem religionis edendum. Attamen non censemus contra paupertatis votum delinquere eum qui tale manuscriptum, magni forte valoris, invito Superiore alienaret, nullo tamen ejusdem pretio recepto, siquidem usus universaliter manuscripta a materia paupertatis excipit.

De reliquis ingenii vel artis foetibus, ex. gr. pictura, statua, etc. sic distinguendum videtur : de his religiosus libere disponere potest, quando fiunt primario ad petitionem illius cui postea dantur et e materia ab eodem subministrata, quia ita religiosus nihil aliud facit quam gratuitam operam suam eidem impendere ; eadem vero libere donare nequit, si fiunt ab ipso religioso cum intentione ea postea donandi vel e materia ad monasterium pertinente, quia sic disponit de re monasterio acquisita. (Lugo, l. c. n. 149 ; S. Alph. l. c.)

93. IV. Materia proxima voti paupertatis est tum dominium directum, tum ususfructus, usus, possessio et administratio, prout haec omnia constituunt jura, non autem merum factum ; sunt autem jura quatenus quis utitur, fruitur, possidet, administrat nomine et arbitrio suo, independenter a voluntate Superioris. Plura tamen sunt, de quibus dubitari possit num materiam hujus voti constituant : praecipua hic subjiciemus.

1° Contra votum est rem pretio aestimabilem destruere vel consumere in proprium commodum, puta vestes quae communi diligentia ad annum durarent, lata culpa sua, intra sex menses consumere. (Lugo, l. c. n. 169) Non videtur autem votum infringere qui rem destruit unice animo damnificandi, puta venenum apponendo cani ne nocturnis latratibus somnum turbet. (D'Annib. III. n. 222)

2° Votum violat qui res ad monasterium pertinentes, sive libros, sive

alia utensilia, absque Superioris licentia, sibi usurpat. Plerumque tamen hujusmodi violationes sunt leves : si enim res (ut fere semper fit) non retinetur occulte et in perpetuum, sed ad usum temporalem, exigua est materia de qua sine dependentia a Superiore disponitur. (Lessius, de Just. et J. l. 2. c. 41. n. 78 ; Suar. de Rel. tr. 7. l. 8. c. 12. n. 4) Gravitas autem duplici ratione in hac culpa reperiri potest : a) Graviter laedi potest justitia vel caritas, quamvis usus qui usurpatur non sit gravis ac proinde leviter tantum voto adversetur, ut contingeret si qui communitati vel sodali subtraheret usum libri cujus defectu vel subreptione grave nocumentum gravemve tristitiam paterentur. Cfr. Vol. I. n. 510. — b) Ipsum votum quandoque tali usurpatione graviter laedi potest, vid. si usus ipse tanti valoris sit ut materiam gravem compleat, puta si quis manuscriptum eximii valoris, ex alterius cubiculo ablatum, sibi describeret. (Lugo, l. c. n. 154)

3° Non peccat contra paupertatis votum qui suscipit meram curam et administrationem bonorum alienorum, etiam emendo, vendendo, solvendo in alterius utilitatem, dummodo illa administratio nullum emolumentum temporale religioso afferat, ut affert jus utendi rebus administratis in proprium commodum. (Lugo, l. c. n. 155)

4° Contra votum paupertatis est, etiam ea quae cum licentia habentur, occultare ne a praelato videri et auferri possint : id enim est velle ea, etiam invito praelato, retinere. Attamen quandoque talis animus abesse potest et consequenter occultatio jam non adversabitur voto, puta si quaedam occultem tantum ne cernantur ab aequalibus qui rem ablaturi praevideantur, vel etiam a praelato inferiori, quando habeo licentiam a praelato mediato et timeo ne immediatus id rescians instet ut mihi licentia auferatur. (Lugo, l. c. n. 156)

5° Probabile est non agere contra votum paupertatis religiosum qui, inscio vel invito Superiore, depositum accipiat, quamvis plerumque id merito regulis prohibeatur : nullum enim actum dominii in rem depositam exercet. (Suar. l. c. c. 11. n. 45) Insuper graviter laederet justitiam qui, accepto deposito magni valoris, nec caute custodito, monasterium gravis damni periculo exponeret.

6° Materia voti paupertatis est accipere mutuo pecuniam aliasve res pretio aestimabiles ; nam, cum earum dominium mutuataro acquiratur, manifeste ab eo exercetur actus proprietarii si independenter a Superioribus mutuum accipiat. (Suar. l. c. n. 44) Idem dicendum de commutato : nam, si prorsus deficit consensus Superioris, habebitur saltem usus independens.

7° Controvertitur num contra paupertatem delinquat religiosus qui, absque licentia, apud extraneos bibat vel comedat. Probabilior est sententia negans quam tenent Lugo (op. cit. disp. 2. n. 51), Pelliz. (Man.

Reg. t. l. tr. 4. c. 2. n. 261), etc. Rationem affert Lugo : " Tunc (religiosus) non tam videtur habere usum activum quam passivum, h. e. solum se habere quasi passive, ut in ejus persona utatur cibus qui eum invitavit. Certum quippe mihi est non esse contra votum paupertatis omnia commoda quae ex aliorum liberalitate possunt religioso obvenire, ex. gr. si saecularis accendat ignem ad calefaciendum religiosum, si comburat aliquid odoriferum pretiosum ad ejus olfactum recreandum, si ostendat ei aliquod spectaculum cujus visio esset alioquin pretio digna... In his enim omnibus religiosus videtur se habere passive, et dominus ipse videtur esse qui utitur re sua circa personam religiosi. „ Attamen certo contra votum ageret qui res fungibiles secum domum ferret, postea, quando liberet, consumendas : nam de his active disponderet.

8^o Non peccat contra votum paupertatis religiosus qui ab extraneo accipit pecuniam in pia opera ad libitum impendendam, ex. gr. distribuendam pauperibus quos ipse eligit ; multo minus si eam petit transmittendam alicui operi vel personae determinatae. (Suar. de Rel. tr. 7. l. 8. c. 15. n. 16 ; Ball. P. n. 132. etc.) Nam, ut explicat Sanchez (in Dec. l. 7. c. 30. n. 4) : " Religiosi per votum paupertatis nihil aliud vovent quam oppositum ei quod in iis cernimus qui sunt domini vel proprietarii... At religiosus hic non retinet, nec accipit eas pecunias tamquam dominus, sed ut nomine alieno, nempe tradentis, det pauperibus. Non ergo exercet aliquem dominii vel proprietatis actum. „ Supponitur tamen hic non tradi pecuniam ita ut ejus usus absolute arbitrio religiosi relinquatur : sic enim virtualiter acciperetur jus convertendi rem in usum proprium, si religiosus voluerit : quod profecto paupertati repugnat. Cfr. dicta (ad 3^{um}) de accipiente meram administrationem rei alienae : nam casus similis est.

9^o Non peccat contra votum paupertatis religiosus qui sine licentia renuntiat rebus sibi oblatis in favorem communitatis, quamvis quandoque contra caritatem delinquere possit : nam votum minime obligat ad acquirenda bona temporalia. Contrarium dicendum est si renuntiet juri jam acquisito vel a se vel a monasterio, puta legatis sibi relictis, hereditati paternae, mercedi laboribus suis debitae. (S. Alph. n. 20)

10^o Religiosus sollemniter professus testamentum condere nequit, neque a se conditum mutare ; iis vero qui simplicia tantum vota emisere, id regulariter licet, nisi obstant speciales constitutiones. De hoc argumento canonico potius quam morali videsis Lugo. disp. 3. sect. 6. In novis votorum simplicium institutis quae ortum habitura essent, id esset prohibitum per se. (Normae recentes 28 Jun. 1901)

N. B. Multo latius patet objectum virtutis quam voti paupertatis. Virtus enim, praeter ea quae sub votum cadunt, respicit etiam effectus circa res terrenas et plenam ordinationem in iis prosequitur. Hinc, laeso voto, semper laeditur virtus, non autem vice-versa.

94. V. Cum, in hodierna disciplina Ecclesiae, voto paupertatis essenziale sit ne religiosus actum independentem dominii circa bona temporalia exercent, summopere interest determinare quaenam licentia Superioris requiratur et sufficiat ut usus vere sit dependens a Superioris voluntate. Qua de re haec videntur tenenda :

1^o Omnium consensu sufficit licentia Superioris *expressa* vel *tacita*, Expressa ea est quae verbis, nutu, facto declaratur ; tacita, quae ex aliqua Superioris actione vel omissione prudenter colligitur. Exempla sunt : si in aliqua religione viget consuetudo quasdam minoris momenti res dandi et accipiendi, praelatus non contradicendo tacitam licentiam largitur ; praelatus qui permittit subditum accipere imagines, rosaria et similia quibus scit eum non indigere ad usum proprium, tacite permittit ea aliis transmitti ; in licentia iter agendi continetur facultas erogandi eleemosynam pauperibus petentibus, aliquam mercedem famulis inservientibus largiendi, benefactoribus aliquid in grati animi signum offerendi, juxta morem aliorum suae condicionis et Ordinis, quia haec postulatur humanitate et urbanitate quas Superior censendus est velle ut sui exercent.

2^o Non ita clara res est ubi agitur tantum cum licentia *interpretativa* seu *praesumpta*. i. e. quae reapse data non est, sed probabiliter existimatur concedenda si res Superiori proponeretur : quae existimatio formanda est, tum ex rei natura, tum ex indole et consuetudine Superioris.

Consentiunt DD. sufficere licentiam rationabiliter praesumptam, quando Superior adiri nequit. Nam in hoc casu manifestum est religiosum agere non ut proprietarium, sed ut pauperem qui in usu rerum ab alterius voluntate pendet. Attamen, si agitur de re quae, sive a religioso accipiente, sive ab alio cui religiosus donavit, servanda est, plerumque poterit Superior adiri ad rem servandam, ac proinde recidimus in hypothese sequentem.

Jamvero res plurimum controvertitur ubi Superior adiri potest, reapse autem non convenitur ob humanum respectum, commodi amorem, etc. Negant multi tunc sufficere licentiam praesumptam seu interpretativam ad excusandum a voti violatione (Sanchez, in Dec. l. 7. c. 19. n. 15 ; Lugo, de Just. et J. disp. 3. n. 124. etc.) Hoc sane verum est quando consensus Superioris necessarius est ut positus vel ponendus actus sit juridice validus, puta ut valida sit donatio libri extraneo facta a religioso sine expressa vel tacita praelati licentia : nam valor hujus donationis requirit positivum influxum in actum a religioso positum.

Ubi vero agitur unice de actus liceitate, multi DD. quorum sententiam probabiliorem opinatur S. Alph. (n. 18), censent religiosum dantem vel accipientem ex licentia interpretativa saltem a mortali peccato excusari. Rationem afferunt : quia ad non peccandum contra votum paupertatis

ea sufficit licentia quae efficit ut acceptio vel donatio non fiat nomine proprio, sed cum dependentia a voluntate Superioris; non agit autem nomine proprio et independenter, qui dat vel accipit ex consensu praelati prudenter conjecto, quia tunc vere ad ejus voluntatem se refert. Veniale tamen peccatum plerumque committetur, quia generatim praelati sunt inviti quoad hunc modum licentias praesumendi. Sed cavendum est ne tali doctrina evertatur universa paupertatis religiosae praxis: quod pronum est nisi intra debitos limites coartetur. Nam, ut notat Lugo (disp. 3. n. 124): "Pauca religiosis occurrunt ad quae, si petant facultatem a Praelato, non credant probabiliter concessurum: si ergo haec licentia condicionata sufficeret, numquam petenda esset licentia; nam vel creditur concedenda vel non creditur. Si non creditur, stulte petitur quod negandum scitur; si vero creditur concedenda, jam haec ipsa credulitas sufficit per se absque alia licentiae petitione." Quare non est applicanda ea doctrina quando ratione modi Superior sit etiam invitus quoad substantiam, seu (quod idem est) quando Superior nollet concedere facultatem nisi expresse peteretur. Haec restrictio reapse est in mente fere omnium DD. et ipsius S. Alph., ut patet ex iis quae (l. c.) respondet ad argumenta sententiae severioris. Ut autem notat Lugo (l. c. n. 125): in religionibus in quibus paupertas stricte observatur, regulariter praelati sunt et esse debent inviti non tantum quoad modum, sed quoad rei substantiam, ne pateat aditus enervandae paupertatis observantiae.

3^o Non datur obligatio, *ex voto paupertatis*, ad manifestandam praelato donationem vel acceptionem rei cum praesumpta licentia peractam, quando res jam consumpta est: tunc enim ad nullum usum sequentem necessaria vel utilis esset ea licentia. (Lugo l. c. n. 128)

95. 4^o Si praelatus permittat subdito ut bona, ex quacumque causa aut titulo provenientia, in usus vanos, turpes aut illicitos expendat, aut superflua, pretiosa et statum suum dedecentia penes se habeat, peccant et praelatus et subditus contra votum paupertatis. Id tamen intellegendum est de rebus quae cum notabili excessu sint superfluae: secus enim multis scrupulis panderetur via. (S. Alph. n. 29 seqq.) Rationem alii aliter explicant. Censet S. Alph. (l. c.) cum multis DD. licentiam sic datam esse invalidam: quia praelatus non potest dare veniam majorem quam ipse habet; ipse autem, cum sit simplex administrator, non potest bona suo arbitrio et inutiliter expendere, sed tantum in religionis necessitatem vel utilitatem. Alii, ut Lugo (disp. 3. n. 137), opinantur hanc licentiam esse validam, quamvis illicitam: quia nullibi reperitur talis licentiae irritatio; peccatum tamen contra votum paupertatis committi censent, "quia votum illud non solum est de non utendo absque praelati

licentia, sed etiam de conservando statu pauperis, nec faciendis sumptibus qui pauperes non deceant." (Lugo, l. c. n. 131) Quidam, ut Suar. (de Relig. tr. 8. l. 8. c. 11. n. 15), negant generatim per usum illicitum cum licentia peccari contra paupertatis votum: quippe quod obliget tantum ad non habendum proprium. Hi tamen (l. c. n. 17) videntur consentire in eo quod nimia abundantia rerum, etiam sine vitio proprietatis, adversatur voto paupertatis "quia moderatio etiam in his rebus potest cadere sub votum."

5^o Generatim non excusat a violatione voti venia debita sed negata: nam, etsi Superior irrationabiliter agat, manet lex prohibens ne quid independenter usurpetur. Attamen probabiliter excusat talis licentia, quando subditus a religione vel ipsa lege naturae jus habet ut eadem concedatur: tunc enim licentia ipsi a religione vel lege naturae tribuitur. Hinc si praelatus denegaret necessaria juxta consuetudinem religionis ad victum et vestitum, posset religiosus ea ab extraneis accipere, etc. (Schmalzgr. in l. 3. Decr. t. 35. n. 35; S. Alph. n. 33) Similiter fere dicendum de casu quo venia negata a Superiore immediato existimatur concedenda a Superiore mediato. Nam regulariter talis praesumptio non sufficit: siquidem, etsi petentibus concessuri sint mediati Superiores, regulariter inviti sunt et esse debent quominus a non petentibus licentiae hujusmodi usurpentur, cum hujusmodi usus nequeat non ducere in notabilem paupertatis relaxationem. (Lugo, l. c. n. 125) Attamen probabile est eorum licentiam praesumi posse quando in mora periculum est gravis damni, ut S. Alph. dicit (l. c.) de casu praecedente.

6^o Qui accepta licentia impendendi pecuniam in aliquem usum, eandem in alium impendit, peccat contra votum paupertatis, si Superior invitus est quoad substantiam erga talem mutationem. Hoc autem praesumendum est quando usus est prorsus diversus, puta si quis pecuniam de qua disponere posset ad emendos libros, impenderet in iter voluptuarium instituendum. Nec refert quod Superior, si res peteretur, annueret: nam nihilominus debet invitus esse ne fiant tales mutationes quae ad relaxationem paupertatis ducerent. Quandoque tamen censendus est invitus tantum quoad modum: nempe si usus est valde affinis ei qui concessus est, puta emere rosaria loco imaginum, vel si subditus est talis ut praelatus non curet scire in quos usus expendat. Tunc ad summum aderit culpa levis. (Lugo, l. c. n. 158)

7^o Quando aliquis a praelato suo accepit licentiam aliquas res dandi, regulariter omnes alii ejusdem praelati subditi facultatem habent eas accipiendi: quia haec est regulariter Superioris concedentis intentio. (Lugo, l. c. n. 165)

8^o Probabiliter nequit religiosus donare pauperibus ea quae parcius vivendo sibi subtrahit ex rebus sibi ad usum concessis, nisi ipsi assigne-